

Salutem & Officia.

Quod fugere Vos, PATRONI, non arbitror, in Legibus Scholæ bujus à Magn. Nobil. & Ampl. Senatu Reip. patriæ injunctum est Alumnis ex eâ discessuris, ut Benefactoribus & Præceptoribus, pro fideli informatione, aliisque beneficiis, gratias habeant agantque debitas.

Magistratus enim noster Amplissimus, quem honoris causâ nomino, præclare intellexit, non aliam temerè inveniri Virtutem, quæ magis deceat Adolescentiam ingenuam, quàm studium εὐχαριστίας. Benignum, scilicet, est & plenum ingenui pudoris, fateri, per quos profeceris. Teste Plinio in Præfat. operis Natur. Histor. Et solet hoc gratitudinis declaranda specimen bonorum virorum animos iis, qui eâ virtute præditi sunt, maximoperè conciliare, ut, cum statuunt se beneficia non in vas rimosum aut pertusum collocaturos, eò hilariores se datores exhibeant. Ne dicam, idem hoc studium gratæ mentis studiosos in spem præclaram attollere, ut confidant, ubique terrarum inventuros se, quibus ob præclara sibi exhibita beneficia & multum debeant & libenter: adeoque gratiarum actione ad plus dandum invitent quam plurimos alios. Quâ ratione fieri non potest, ut cum ipsis non agatur optimè.

Hoc pensè cum haberet CHRISTIANUS SCHERTZ. alumnus Scholæ Zittaviensis πενταέτης, chorig. Symphonici
hactenus